



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Imagines apud Christianos in honorem Dei erectae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

nimirum quæ diuinæ gloriæ derogant. Alterutrum horum aduersarij concedant oportet. Atqui primum verum esse non potest: quum Deus sibi ipse non repugnet, nec contraria præcipiat. Quomodo vero Deum repugnantia & iniustitiæ nota liberabimus, si eos tamquam idololatras ab ipso puniendos fore dicamus, qui exemplum ipsius sequuntur & imitantur? Numquid enim Deus, etiam post latum decalogum, Cherubinos humana facie in templo suo collocari, æreum serpentem in ligao ad crucis formam erigi, aliaque opera quorum usus in templo & ad sacra futurus erat, bouum, leonum, &c. specie fieri voluit? Circumfer oculos per totum illud stupendi operis Salomonis templum. Vbiq; imagines sculptæ occurrunt: vt caput VI. lib. III. Regum legenti facile apparebit.

IV. Lubenter vero fatemur & credimus, Deum nequaquam sibi posse repugnare, vt qui semper idem sit sibi que similis. Hinc Plato non immerito Poëtas & fabularum auctores à Republica sua exterminauit, quod in theatris deos sibi ipsis repugnantes, & modo in hanc modo illam formam mutatos producerent. Iouem illum mihi quis videat; modo in aureum imbrem, modo in cyenum, modo in aquilam mutatum. Tum Protea illum Virgilianum, de quo ille:

*Tum varia illudent species, atq; ora ferarum.
Fiet enim subito sæs horridus, atq; tigris
Squamosusq; draco, & fulua ceruice Leona.*

Ex quibus sane patet, Deum omnem imaginum usum nequaquam prohibere voluisse: vt quibus ipse in templo suo locum esse voluerit, tam vt ornamentum ei aliquid afferrent, tum vt mysticæ significationi atque instructioni inferuient. Quid? quod magnus ille Propheta Daniel Deum patrem, antiquum illum dicunt, omnibus fere lineamentis & coloribus nobis depingat? quamuis eundem non ignorauerit, Deum incorporealem esse, immaterialem, inuisibilem, neque vlla figura posse exprimi. Et profectò frustra omnis humana industria penicillo aut quocumque alio modo Dei nobis effigiem elaboratura erat, nisi vir ille diuinis sic depictam nobis exhibuisset. Quare credendum est, illas tantum Imagines diuino mandato prohiberi, quibus alius quam verus deus adorandus representatur, aut alius falforum Deorum cultus introducitur; quales illa idola fuerunt, quæ Aegyptii

adorarunt, itemque vitulus ille aureus à populo Israelitico confatus, Draco ille Babylonius, & infinita alia apud alias gentes. Et hoc quidem modo ipsi Iudæorum Rabini, vt apud Aben Efram in Decalogum videre est, præceptum hoc interpretantur.

Nihil horum simile imagines Christianorum habent: quæ non modo non contra Deum, sed iam eum solum finem erectæ sunt, vt hominum mentes ad Deum erigantur. Ipse Saluator noster Iesus Christus faciei suæ effigiem nobis reliquit, vt eius humanitatis contemplatione tamquam per scalam Iacob, & præcipuum nostræ salutis organum, ad cælos euecti, plenam Dei notitiam assequeremur. O verè diuinam effigiem, longe alia quam Zeuris aut Apellis manu efformatam! O cælestem tabulam: in qua diuinæ illius faciei radij nullo alio quam ipsius Dei penicillo expressi sunt.

Quis magnum illum Leonem, tantæ sanctitatis virum mentiri voluisse dicat, quando ait, vidisse se illam imaginem, & omnino talem visam, quæ humana manu fieri non potuerit? Quid? annon liceat nobis habere suæ scriptas, siue pictas, siue sculptas hominum, vel etiam cælestium naturarum effigies: quum intellectus noster tam imbecillus sit, vt nihil nisi phantasia mediante apprehendere possit hæc vero per ideas & obiectas imagines moueri necesse habeat? Et quis ille est tam diuinæ mentis, qui sine his veluti imaginum alis ad cælestium rerum contemplationem euolare possit? quod etiam si perueniret, facile tamen inde abstraheretur, nisi ab externis istis rebus subsidiū perat: vt D. Paulus docet. Quin rationem nullam video, quin ijs imaginibus quæ tam Maiestatem quam amorem diuini numinis eiusque ministrorum nobis repræsentant, eundem ad minimum honorem eandemque reuerentiam tribuere debeamus, quæ Regum ac Principum picturis, immo chirothecis & sudarijs tribui solet: quibus à plerisque flexo genu oscula impriui videmus.

IV. Nec vero obiectis eiusmodi solum homines vulgares, sed docti etiam opus habent: vt quorum animi non minus terrestrium rerum frequentis meditatione & occursum à cælestium contemplatione abducuntur. Ex obiectæ vero imaginis consideratione animus altius sese ad earum rerum, quæ per illam repræsentantur, contemplationem erigit. Nonne Pythagoras fuit qui dixit, numquam se templa ingressum, deorum contemplatione